



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

**Parisiis, 1644**

Actionis VI. Sessio I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15241**

nulla & irrita esse pronuntiauit. De his omnibus duas synodales epistles, vnam ad imperatorem, alteram ad vniuersos Christi fideles, additis sex Canonibus, perscripsit. Vide post acta Concilii Ephes. Baronium anno 431. num. 90. & sequentibus.

## ACTIONIS VI. SESSIO I.

Cansam habita fessio- nis 8. Ne- storiani de- derunt. Nestoriani ad decipi- dos sim- pliores hereticam fidei con- fessionem ediderunt.

Cum diebus quinque, quibus Cyrillus ad populum diuersas homilias recitauit, a sacris comitiis cessatum fuisset, die vigesima secunda Iulii octauus congressus in loco solito, ipsa deiparæ Mariæ ecclesia, habitus est; ea nimirum causa, quod Nestoriani a se scriptam nouam fidei confessionem, quasi Nicænum symbolum sit, simplicioribus exhibendo, illos decipere solerent. Fraudem detexit Charisius ecclesiæ Philadelphiae oeconomicus. Huic Nestoriani confessionem a se compilatam obtulerunt eo fine ut recipiteret: Cum eam respuisset, ipsorumque propterea iudicio condemnatus esset, hæreticam confessionem fidei, vna cum adiuncto libello, Concilio obtulit. Quam cum patres Concilii legissent, communis sententia eam statim reprobaverunt & condemnarunt, & ne in posterum simpliciores & incauti fideles facile decipi possent, Canonem addiderunt, ut sub grauibus poenis nemo aliam quam Nicænam absque ullo additamento fidei professionem subscribendam offerret. Vide act. Concil. & Baron. anno 431. num. 97.

## ACTIONIS VI. SESSIO II.

Pelagiana ha- hereticis cō- demnata.

Vigesima tertia Iulii actum est de damnatione hæresis Pelagianæ. Lectis itaque commentariis sub Cælestino pontifice Romæ aduersus Pelagianos hæreticos conscriptis, cum Pelagio & Cælestio hæreticos auctoribus, omnes eorumdem sectarii condemnati fuerunt; ut constat ex Synodali epistola ad Cælestinum scripta. Ciues Ephesini ardore catholicæ fidei æstuantes, omnes Pelagianos populari vi atque tumultu, protinus vrbe expulerunt. Sanctus Prosper in chron. Post hæc diuersas alias causas in Synodus productas esse, certum est: quibus autem, quotve actionibus, incertum. Nam suggestione episcoporum Valeriani & Amphilochii Massalianos, Euchitas, & Enthusiastas, in hac eadem Synodo condemnatos ferunt. Eustachius metropolitanus Pamphyliae, iam senio confectus, episcopatus curæ nuntium remittens, ut episcopatus nomen & honorem dumtaxat retinet, a Synodo petuit & impetravit. Oblatus insuper fuit libellus ab Euprepio & Cyrillo episcopis, ut secundum antiquum morem illius prouinciae, vnuis episcopus iure metropolitano duobus episcopis praæset: quod sancta Synodus ex prisca eius regionis confuetudine ratum habuit. Cum frequentes ex toto Christiano orbe peregrinationes Hierosolymam versus suscipierentur, eoque magis Hierosolymorum, quam Cæsareensis episcopus honoraretur & obseruaretur, totius Syriae primatum, ex traditione & Concilii Nicæni decreto Cæsareensi debitum, Iuuenalis episcopus Hierosolymitanus sibi magno cum præjudicio Cæsareensis arrogare studebat: Episcopis ferme

Pelagiani vrbe exacti.

Iura metro- politani cō- firmantur.

Iuuenalis Hierosoly- morum epi-